

» Item, nominibus et modo quibus supra, promiserunt de ce-
 » tero perpetuis futuris temporibus non impedire quoquomodo
 » per se vel alium seu alios, collationes, praesentationes, institu-
 » tiones, provisiones, seu quaslibet dispositiones per sedem apo-
 » stolicam vel romanum pontificem pro tempore existentem, seu
 » ejusdem sedis legatos et quoscumque alios ordinarios, de qui-
 » buscumque dignitatibus ecclesiasticis etiam metropolitanis aut
 » patriarchalibus, seu monasteriis etiam consistorialibus, aut qui-
 » buscumque aliis dignitatibus, officiis seu beneficiis ecclesiasticis
 » regularibus vel saecularibus et aliis piis locis hactenus quomo-
 » dolibet factas seu faciendas et de eis nullatenus se intromittere,
 » quinimmo illorum omnium et singulorum possessionem liberam
 » et expeditam per eos vel ad quos spectat, sine contradictione vel
 » molestia tradi et traditas retineri permittere.

» Item, nominibus et modo quibus supra, promiserunt de in-
 » ceptis perpetuis futuris temporibus, per se vel alium seu alios ex
 » quavis causa et quovis quaesito colore aut ingenio non impedi-
 » re, nec se quoquomodo intromittere quominus cognitio causarum
 » fori ecclesiastici libere exerceatur per iudices ecclesiasticos et
 » per eos dictae causae cognoscantur et terminentur in quacumque
 » instantia tam in romana curia quam in aliis locis, prout sanctiss.
 » D. N. et romano pontifici pro tempore illas in quocumque statu
 » committi contigerit: Nec appellationes et provocationes in causis
 » praedictis ad eandem sedem vel alios interponi et interpositas
 » libere proseguere etiam in romana curia impedient. Nec pariter
 » clericos aut ecclesiasticas personas praedictas absque expressa
 » licentia sedis apostolicae vel alterius ecclesiastici iudicis ad quem
 » spectat, capi, carcerari, detineri, aut quavis molestia in eorum
 » bonis, personis aut beneficiis affici facient aut permittent.

» Item, nominibus et modo quibus supra, promiserunt et
 » convenerunt decetero perpetuis futuris temporibus nullo modo
 » impedire seu facere directe vel indirecte, quovis quaesito colore
 » aut causa, quin subditi omnes et singuli, immediate eidem